

thalis. Si post urinam crassam prius emis-  
sam mox aquosa, pellucida, exit, dein  
convulsio fit, pessima est: si in febre post  
magnas evacuationes oritur convulsio, &  
haec fere lethalis: ut & quae cum delirio  
perpetuo.

713. In curationem prius pervestiganda  
est causa singularis, (710.) & locus pri-  
mario affectus, unde convulsio ortum ha-  
bet, (710.) dein ocyus medicamenta appli-  
canda illa, quibus acre leniri, impactum  
resolvi, contractum laxari possit. Unde  
diluere, laxare, revellere, lenire, fere sa-  
nare solent convulsiones hasce; nec un-  
quam specioso antispasticorum titulo fi-  
des adhiberi debet.

714. Si autem caput primario affectum  
deprehenditur, debet curatio fieri dicta,  
(706.)

### SUDOR FEBRILIS.

715. **S**udor in initio acutae febris, cujus  
causa paulo pertinacior, pro cau-  
sa habet vasorum extremorum laxam debi-  
litate, cruoris circulationem vehemen-  
tem, facilem aquae ex reliquis sanguinis  
principiis expeditionem.

716. Si perennat, orbat sanguinem li-  
quido diluente, reliquum inspissat, ob-  
structio-

structiones facit lethales, sanguine postea vix diluentibus vel resolventibus auscultante; unde omne fere morborum acutorum genus produci potest.

717. Ergo initio semper cohibendus, nisi constet, materiem morbi adeo tenuem esse, ut cum primo sudore diffilari possit.

718. Prohibetur surgendo ex lecto; sedendo; corpus a nimis integumentis liberando; aërem frigidiusculum admittendo; calidis, calefacientibusque abstinendo; potu plurimo leni, blando, frigidiusculo saepe utendo, ut amissi damnum refarciatur cito, circulationem nimis velocem refrænando. (102. ad 106.)

#### DIARRHOEA FEBRILIS.

719. **D**iarrhoea pro materie habet mucum, lympham, gluten, pus, sanienam sanguinem, narium, oris faucium, oesophagi, ventriculi, hepatis, vesiculae felleae, pancreatis, intestinorum, mesenterii; pro causa vires in intestina expellentes validas, dum in ipsis intestinis contrahentes vires debiles, vel in vasis intestinorum absorbentibus impedimenta, ne admittant.

720. Quae liquet, fluorem alvi in febribus multiplicem esse quoad materiem;  
cau-